



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

LIX. Markgraf Ludwig befreiet die Stadt Frankfurt für den ihm gegen den falschen Waldemar geleisteten Beistand von der Pflicht Urbede zu entrichten, am 23. November 1348.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

LIX. Markgraf Ludwig befreiet die Stadt Frankfurt für den ihm gegen den falschen Waldemar geleisteten Beistand von der Pflicht Urbede zu entrichten, am 23. November 1348.

Nos Ludwicus, dei Gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus Reni, Dux Bauarie et Karinthie sacrique Romani Imperii archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, necnon Ecclesiarum Aquilagenfis, Tridentinensis et Brixinensis aduocatus, Vniuersis et singulis fidelibus, quorum interest, pacem et gaudium sempiternum presentis seculi et futuri diligentibus salutem et noticiam subscriptorum. Quia dilectissimi nostri fideles Consules et Ciues nostre ciuitatis Vrankenuord meram sue fidelitatis Constanciam pre ceteris tocius Marchie Brandenburgensis nostris subditis nobis et karissimo germano nostro principi Ludwico Romano tempore necessitatis nostre prestiterunt seseque cum rebus suis sub grauibus expensis contra Regis Bohemie et ducum Saxonie ac suorum complicum oppressiones occasione cuiusdam inhumani fimenti de ficto quodam Woldmaro pro conseruatione nostre veritatis et honoris Viriliter et beniuole periculis exposuerunt, Ex quorum eciam Consulium et ciuium efficaci constancia multe alie ciuitates nostre et subditi dicte Marchie vestigium et exemplar sumentes in pretacti fimenti disturbio nobis fideliter commanserunt; Nos itaque proinde propriis motibus iustis inclinati ad dictos Consules, ciues et Ciuitatem magna laude et honore predignos, ex certa scientia de fidelium nostrorum subscriptorum maturo consilio, vt predignis predigna corespondeant premia, ipsis Consulibus ciuibus vniuersis et singulis dicte ciuitatis Vrankenuord Dedimus et donauimus et presentibus literis damus et donamus perpetuam libertatem et absolutionem annue sue pensionis, que orbor wlgariter nuncupatur, Volentes et irreuocabiler pro nobis et heredibus nostris ac successoribus decernentes, vt huiusmodi fidelitatis constancie sit memoria sempiterna, quod ammodo perpetuis temporibus iidem Consules et ciues vniuersi et singuli presentes et posterius priuilegio mere libertatis gaudeant et ab omni pensione annua, que Vt premititur orbor dicitur, in quam prius nobis et heredibus nostris ac successoribus tenebantur, sint omnino absoluti ac liberi penitus et immunes, Nec pretextu huiusmodi libertatis in extraordinariis seruiciis aut talliis plus solito aut pre aliis Ciuitatibus nostris Marchie debent ipsi a nobis et heredibus nostris et successoribus aut officiatibus nostris et ipsorum aliquatenus magis pregrauari, ymmo multo minus et condignius alleuari in eisdem. In cuius testimonium presentes literas sigilli nostri appensi munime firmiter fecimus communiri. Testes vero huius sunt Illustris princeps Ludwicus Romanus, germanus noster pretactus, necnon nobilis vir Guntherus Comes de Swartzburg de spreimberg ac strenui Viri Vlricus Wilbrant, Beringerus Hael, marscalcus noster, Johannes de Hufen, camere magister, Hartmannus, magister, Wolfhardus Satzenhouer, Engelhardus Wilde, Dypoldus Hael, milites, cum ceteris pluribus fidedignis. Actum in domo pretorii dicte ciuitatis nostre Vrankenuord, Datum vero Vorstewald, Anno domini M^o CCC^o Quadragesimo Octauo, in die Clementis pape.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 1, 37.